



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Gvilielmvs Abbas. 6. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Considera, quid tunc dicturi, quid cogitaturi sint electi. An eos pœnitebit, mundi vanitatem contempſiſſe? Attende etiam ad ea, quæ dicturi ſunt damnati; En! inquit (Electos indicantes) en! quos aliquando habuimus in deriſum: Quàm tamen prudentes fuerunt! ipsis verò damnatis quàm lugubre erit, Deum videre & perdere! & ante pretii ſui perire conſpectum. Eucher.

S. GVILIELMVS Abbas.

6 Aprilis.

Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Paul. Ep. i. ad Theſſ.

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbati, apud Pariſienſes, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus eſt. nec abhorrebat à diſciplina pius animus, qua comite feliciter in litteris progreſſus, facile ſuperabat æmulos, quibus ob morum integritatem faſtidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perfe-rens nihil alienum à virtute patrabat quæ ſedem firmam in pectore ipſius jam fixiſſet. Dubius quo vitæ genere virtutis ſtudia decurreret, monente tandem ſe- veriùs Odone Abbate, & objecta Chriſti crucifixi

crucifixi in vitrea fenestra depicti specie, pectori ejus faces subdente, in religiosam se familiam recepit, in qua caelestibus promissis accensus ita se probavit aliis, ut Roschil- densibus praeficeretur Abbas. Et quia pii omnes adversis exercentur, nequaquam ab his vir sanctus eximius fuit, caeli nihilominus deliciis sustentus. Gravius decumbenti S. Genovesa virgo solamen & morbo medicinam attulit. Morituro denique Reparator noster Sanctis comitatus conspicuū se fecit, scilicet ne mortis larvā terretur. Caelum anno MCCII. subituro paratum solium ejus discipulus videt, coronamq; rarum opus & Angelorum manibus elaboratum; sed gemmas GVILIELMVS suppeditavit, virtutes suas, quarum nos nomina fortasse scimus & subinde de pretio disputamus, sed subterfugimus patientiae scalpellum, sine quo nulla gemma calatur. *Ex surio.*

M E D I T A T I O

De rectā eligendi ratione.

i. **C**um aliquod vitae genus eligendum tibi est, ut nunquam te poeniteat consilij ac electionis tuae, primum omnium Deum etiam atque etiam obsecra, ut doceat te, facere voluntatem suam; & da operam, ut animus tuus paratus ac promp-

Q 2,

tus

tus sit ad exequendum, quidquid Deo libuerit. Deinde aperi moderatori conscientiae tuae consilium tuum; is quippe Dei vicem gerit. Felix consiliorum eventus a Domino plane pendet: adjuvabit te, si ex ejus nutu ac voluntate omnia praestiteris.

2. Pondera rationes, quae te impellunt ad hoc, vel illud eligendum, & eas, quae pariter ab eodem retrahunt. Hae rationes peti debent ex fine, ad quem creatus es, ad hunc verò finem es creatus, ut salvus fias. Salus tua sit norma electionis tuae. Considera diligenter, utram facilius hoc, quam illo vivendi instituto aeternam felicitatem consequi possis. *Vtere consilio, quod tu ipse dares amico, si periret, ac tu, indigeret. Vide quid factum à te velles ultimo vitae puncto.*

3. Vbi primam Dei cognoveris voluntatem, eam sine mora exequere. Deum ridet, quisquis ab eo petit consilium, quod non est secuturus. Ne te terreat difficultates, non deerit caelestis gratia, quam omnes superare poteris. Salus tua sit magnum ac unicum negotium tuum. *Nam quid prodest homini, si totum, quod extra se est, congregat, & hoc ipsum, quod ipse est, damnat? Gregor.*

S. HERMANNVS CONFESS:

7. Aprilis.

Ecce Mater tua. Joh. 19.

HERMAN-